



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

26. SS. Joannes, & Paulus Martyres

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

mur! O quàm feliciter viveremus! O  
quàm & dulciter moreremur! Ut fiat,  
& membra simus de tanta familia

*Instructio meritoria.*

Feria III. recitabimus Litanias de  
Consanguinitate Jesu, Mariæ, & Josephi,  
& præsentis octo dies quotidiano actu  
vel humilitatis, vel propriæ abnegatio-  
nis, vel abstinentiæ, aut alterius virtu-  
tis heroicæ transigamus, petitâ tamen  
Patris spiritualis licentiâ. Quò genero-  
sior devotio eò gloriosior. Jesus, Ma-  
ria, & S. Josephus sat potentes sunt. Ut  
quid parcimus pietati.

Festum SS. Martyrum Joannis,  
& Pauli Patronorum contrâ tempe-  
states potentissimorum.

EXHORTATIUNCULA I.

**O** Viros gloriosos! Julianus apostata  
inter suos familiares invitat hoc  
par nobile fratrum. Negant illi, liberè  
protestantes, se nolle cum illo esse, qui  
à Christo Jesu defecisset. An non hoc  
est, ire in mortem cum Christo? Fili!  
Quid nos egissemus? Vel quid agemus

R 4

im-

imposterum, ubi standum pro Nomine Dei?

*Instructio meritoria.*

Ne propter respectum humanum propter quem toties offenditur Deus puniatur fulmine, aut grandine, aut incendiis, vel aquarum inundatione delictis patria, recitemus *Lytanias de omnibus Sanctis*. Orantibus parcunt elementa.

II.

**Q**uis Deus, & Dominus noster, quem solum veneremus, timeamus, & adoremus? Nonne Is ipse, de quo SS. Joannes, & Paulus ad Terentianum dicentes: *Si tuus est Dominus Julianus habeto pacem cum illo! Nobis alius non est, nisi Dominus Jesus Christus*. Sic fides, sic amor loquitur in Martyribus. Quid autem in cordibus nostris?

*Instructio meritoria.*

Ut eandem Confessionem, & æqualem reverentiam exhibeamus coeli, terræque Domino, quoties ingressi fuerimus cubiculum, flectentes præsentem nobis Deum adoremus, ore venerabun-

do salutantes : Ecce! *Dominus meus, &  
Deus meus! Centies millies Salve!*

## III.

**P**retiosa mors Sanctorum! Mortem celare voluit impius apostata. At non potuit; quia ipsi daemones proderunt ad sepulchrum Sanctorum Martyrum abacti ex corporibus possessorum. Non simus solliciti, dilecte! pro Nomine, & vita nostra! Est Deus in caelo, qui defenderet, si sanctè finierimus. Et quis id non optabit? Benè finit, qui exemplariter vixit. Homo judicat secundum visum; Deus quoad conscientiam. Hæc si bona, quid curamus hominum ora?

*Instructio meritoria.*

Abjiciamus curas inanes, & frivolas pro commoditatibus vitæ! Mortis recordemur! Hinc ad singulas noctes testamentum nocturnum ubique in libellis precatoriis inveniendum devotè præmittamus. Beatus, quem mors invenerit vigilantem! Mors prævenientibus amicus! Serovenientibus carnifex, & tyrannus.

R 5

Fe-